

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humíllia réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facilit stéri-lem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Psalmus 115.

CREDIDI, propter quod locútus sum : * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo : * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam : * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino red-dam coram omni pôpulo ejus : * pretiôsa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus :

O Dómine quia ego ser-

vus tuus : * ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.

Dirupísti víncula mea : * tibi sacrificábo hóstiam lau-dis, et nomen Dómini invo-cábo.

Vota mea Dómino red-dam in conspéctu omnis pó-puli ejus : * in átriis domus Dómini, in médio tui Jerú-salem.

Psalmus 125.

IN converténdo Dóminus captivitátem Sion : * facti sumus sicut consoláti :

Tunc replétum est gáudio os nostrum : * et lingua no-stra exsultatióne.

Tunc dicent inter gen-tes : * Magnificávit Dómi-nus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíscum : * facti sumus lætáantes.

Convértete Dómine capti-vitátem nostram, * sicut torrens in austro.

Qui séminant in lácri-mis, * in exsultatióne me-tent.

Eúntes ibant et flebant, * mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, * portán-tes manípulos suos.